DE RELATIONE QUAE INTER VITALITATEM PARTIUMQUE SOLIDARUM...

Domenico Marcantoni

DE RELATIONE

QUAE INTER VITALITATEM
PARTIUMQUE SOLIDARUM ANIMALIUM
COMPOSITIONEM INTERCEDIT,
ET DE INFLUENTIA
QUAM HAE PARTES HABENT INTER SE
PROPTER VITALITATEM

DISSERTATIO ACADEMICA

QUAM

AD LAUREAM IN MEDICINA

ASSEQUENDAM IN CELEBERRIMA

SCIENTIARUM UNIVERSITATE PATAVINA

PUBLICE HABUIT CUM ADNEXIS THESIBUS

DOMINICUS MARCANTONJ

VERONENSIS

PATAVII
TYPIS SEMINARII
MDCCCXXVI.

PARENTI · AMANTISSIMO

DOMINICVS · FILIVS

IN · PERENNE · AMORIS · MONVMENTVM

D · D · D ·

Haud equidem putandum est vitam esse statum passivum, aut cujuscumque aptitudinis dumtaxat effectum, quae plus minusve ab actionibus causarum externarum ad agendum excitetur; adeo ut in uno normali excitamento salus sita sit, in eoque sive aucto, sive imminuto, (in quo hisce a causis ponitur) diversa morborum omnium natura consistere possit.

Felices nos! Tunc enim duae magnae quidem essent morborum classes, totidemque remediorum, quibus prompta haberetur curatio. Id vero reapse non est; ac propterea, etsi bene indicentur remedia, videmus morbos non solum renasci aut remanere, sed immo augeri plerumque, et eam quodammodo sequi viam, quae a causis peculiaribusque circumstantiis praescribitur.

Aptitudo ad vitam, aut illa, unde characteristica ejusdem phaenomena emanant, haud certe immutabilis est externarumque causarum vi passive obediens. Ipsa e contrario est activa illa vis,

quae etsi ad occasionem et congruenter pro dissimili agat gradu excitamenti quod a causarum externarum actione producitur, tamen permanentem gradum vis acquirere potest, quae normali aut naturali major minorve sit. Hic vero gradus novum necessario elementum, novaque causa fit, quae nova producere phaenomena, aut novum iisdem aspectum praebere potest; unde morbi majori seu minori velocitate quaedam debeant stadia percurrere, diversam acquirentes naturam, ideoque diversa curandi ratione opus sit.

Diathesis, sive ad hunc potius quam ad illum morbum dispositio, constituitur ab activitatis gradu innormaliter aucto aut imminuto in ipsa vi, proque ea parte, in qua vis illa diversum hunc gradum acquirit. Donec hujusmodi gradus eo non protrahatur, ut morbosis phaenomenis originem praebere possit, quin a gradu actionis causarum externarum pendeat qui differt a solito, morbi non prodeunt, nisi propter externarum causarum actionem, a quibus vitae vis excitatur.

Concursus et influentia diathesium, aut permanentis gradus activitatis qui a vitalitate diversis textubus inhaerenti acquiritur, tunc solummodo in morborum productione apparet, cum ille gradus multo major aut minor sit, quam in naturali normalive statu esse debet.

Ut intelligatur quid sit haec vis, et quomo-

do ab externarum causarum actione excitari, atque adeo propter ipsas causas gradum diversum et permanentem activitatis acquirere possit, satis erit animadvertere hanc vim a determinata organica profunda partium compositione proficisci, quae ex abnormi excitamento (in quo potest eadem esse vis) mutari potest, immo debet necessario, et permanentem majoris aut minoris activitatis ejusdem vis gradum efficere. Certum est quin major aut minor concurrat vis actionis, aut attentionis animi, unde et intellectus debentur operationes, et homo omne animal sibi in corporis compositione magis proximum excellit, certum, inquam, est diversas partes organizatas eam, dum vita permanet, vim habere, eamdemque posse multa efferre phaenomena quae vitam, ut ita dicam, physicam omnibus corporibus animalibus immo corporibus omnibus organicis communem manifestant, aut constituunt.

Hinc illustres scriptores eam ab intima partium organizatione proficisci atque adeo phaenomena, quae illam manifestant, quaeque ab animae concursu provenire non videntur, ab eadem produci organizatione cognoverunt. Multi profecto per actionem peculiaris cujusdam fluidi se se diverse velociterque moventis omnia explicare voluerunt. Alii per irritabilitatem, aut vim hypermechanicam nervosae, aut sensoriae potentiae etc.

Generatim quidam physico-medici recentiores, licet vago quodam modo, autumasse videntur, aut in diversis partibus organicis peculiarem vim diversam inhaerere, aut unam inhaerere vim, quae diversis prodeat phaenomenis pro diversa partis ad actionem excitatae organizatione.

Vaga ac incerta, qua recentium scriptorum nonnulli usi sunt, dicendi ratio ex eo pendere videtur, quod effectum stimulorum, aut causarum externarum in viventem fibram agentium ab actione vis vitalis ex eodem illo effectu productae non bene distinxerint. Effectus stimulorum, aut causarum externarum, quae fibram viventem ad agendum impellunt, nostris sensibus conspici omnino non potest, omnique jure sub generali impressionis nomine consideratur: sed fibrae viventis actio manifeste sita est in celerrima mutatione voluminis illius partis, in qua fit, cuique communicatur impressio; quam mutationem pari celeritate subsequitur voluminis restitutio ad pristinum statum.

Generalia haec phaenomena, quibus vitae vis se prodit, nos quidem poterant inducere, ut unam vim reputaremus, quae vitalitas appellari potest; sed diversa celeritas, qua partes diversae suum mutant volumen, dataque impressione ad pristinum statum referuntur, nobis inferre debebat, ut arbitraremur partes diversas diversam ha-

bere gradationem, ut ita dicam, naturalem vitalitatis; ac praeterea propriam nervorum gradationem nomine sensibilitatis, illam vero musculorum nomine irritabilitatis, illam tandem quarumdam membranarum, et quorumdam tractuum texti evidenter cellulosi nomine contractilitatis, aut vitalis tumoris distingueremus.

Nunc placet vitalitatis, ejusdemque gradationum omnium actionem declarare, quod impressionis effectus ab externis causis productae uno momento ad omnem partem, celeriterque ad alias etiam partes transmittatur, in quibus ejusdem vis resideat gradatio. Prompta voluminis mutatio, et prompta subsequens ejusdem restitutio eodem certe temporis momento in toto partis volumine producitur, et in illo etiam continuarum contiguarumque partium, in quibus diversa vitalitatis gradatio inhaereat; et ex diversa earumdem partium distributione pendent complicata ac varia vitae, salutis morborumque phaenomena. Corpus igitur dici vivens nequit, nisi singulae ipsius partes, quibus componitur, aptae sint ad accipiendum et communicandum motum illum quemcumque ab externarum causarum actione productum: vitae vero idea ab idea motus separari non potest. Alphonsus Borelli (1)

(1) De motu animalium, Cap. 8.° proposit. 556.

haec habet: »Observo, quod animalium vita in perenni et non interrupto motu consistit: agitantur enim artus, et partes omnes solidae, fluidae, spirituosae, dum corpus movetur, dum cibaria ingerit, concoquit, chylificat, et in sanguinem vertit, dum nutrit et reficit partes deperditas, dum motus sensitivos edit, et in summa nihil stabile in animali, dum vivit, permanet».

Sic profess. Testa dicere solebat, quod vivere sit agere, et illustris Cuvier monet vitam consistere in vortice continuato ac perenni nunc plus nunc minus rapido molecularum, quae aut ingrediuntur in viva corpora, aut ab iisdem exeunt. Hinc concipi nequit actio aut functio quaelibet viventis organismi, quin motus paene dixerim intestinus in illis organis admittatur, quae illam producunt. Aliquid insuper est, quia quum unum tantum moveatur organum, aliorum etiam omnium partes oscillari, et prioris motui, ut ita dicam, respondere coguntur.

Bordeu, qui jam penitus inspexit, dixerat, etsi omne organum vita sane sua vivat, tamen talem ac tantam esse relationem inter omnia vivi entis organa, ut ad unius motum cetera omnia peculiari motu respondere debeant. Aegidius Dalla Fabra homo summa dignus existimatione vitam physicam in constanti inter omnes animalis organismi partes motu reposuit.

Corporis humani vita scribit Hoffmann, *ejusque functionum integritas in solidorum et fluidorum, libero et aequabili motu consistit.* Ipsae etiam sensationes a motu pendent. Et revera conus lucis, quae diaphanas oculi partes pertransit, rerum imaginem super retinam depingit: haec excutitur, et motus propagatur per nervum, qui usque ad cerebrum extenditur, ubi impressio transmissa a facultate ibidem residente, aut ab anima distincta constituit ideam, quae habetur. Professor Ranzani pro certo asseruit, effectum nuper dictae impressionis in motu consistere, et negari non posse, quia solo ipso motu talis effectus ad sedem principii sentientis, transmitti possit. Sic quin tensa tympani membrana (1) excutiatur et tremiscat, soni idea haberi non potest; nec ulla alia explicari poterit sensatio, quin ad tremitum recurratur veluti oscillatorium, qui nervorum longitudinem rapide percurrat. Hujusce causa motus horumque singularium phaenomenorum, quae vitalitatem manifestant, ejusdemque diversas gradationes, debet procul dubio pendere ab ipsis proprietatibus elementorum aut molecularum, quae ab iisdem componuntur.

(1) Elementi di Zoologia T. 1. p. 2. c. 2. §. 68. Bologna 1819.

Prof. Medici ait, si fieri posset, ut ope sensuum cognoscamus quod mente fingere possumus, nos in omni fibra viva visuros esse circulum, ut ita dicam, aut vorticem molecularum, quae ab extremis vasorum lymphaticorum osculis auferuntur; et alium insuper circulum aut vorticem aliarum molecularum quae accedunt, et a capillaribus vasorum exhalantium extremitatibus ducuntur: nos esse visuros moleculas humoris, qui super texta confluxit, cum ipsis solidas fieri, firmitatem acquirere, colorem, saporem, odorem, vimque vitalem illorum textorum, quorum partes fiunt (1).

Ex quo inferendum est vitae exercitium aut motum, ac vitalitatis diversarumque ejus gradationum phaenomena consistere in assidua elementorum, aut molecularum amissione, modo sub gazosarum perspirationum forma, modo quia a lymphaticis simul cum nutrienti redundantique humore celeriter absorbentur; quae sane amissio ab elementis, aut moleculis a fluido nutrienti, quod semper circumit, suppeditatis cito reparanda est.

Constantes hujusmodi et assiduae elementorum aut molecularum amissiones, quae cum vi-

(1) Commentario intorno la vita. Opusc. scient. di Bologna T. III. §. 234.

talitatis actione fiunt, quaeque assidue a fluido nutrienti debent reparari, in causa sunt, cur perpendamus, et cognoscamus relationem illam, quae inter normalem vitalitatis vim in omnibus gradationibus intercedit, et assimilationem ac nutrientis humoris distributionem, qui unicuique parti accommodatur.

Ab experimentis, quae postremis hisce annis Wilson Philip. executus est amputatione nervorum qui impressiones ad minimorum vasorum arteriosorum, et vasculorûm exhalantium ac secernentium parietes transmittere possunt, ut eorumdem parietum vitalitas ad normalem actionem excitetur, ab iis inquam, experimentis evincitur omnino, ipsas secretiones propriam peculiarem compositionem et vim agendi non acquirere sine impressionum auxilio, quae ope nervorum transmittuntur; dum praesertim succus gastricus eo in casu haud amplius bonae chimificationi, neque bilis rectae chyli separationi a faecibus inservit. Hinc assimilationes succedentes majoris chyli compositionis in lympham et sanguinem absorpti, et retrogradae ipsius sanguinis decompositiones, unde omnes habentur secretiones, et praecipue fluidi nutrientis formatio unicuique parti convenientis, in quibus separatur, et in quas distribuitur, esse non possunt, ut debent, nisi agat nervorum vitalitas. Sed nimirum quia

necesse est, fluidum nutriens, quod formatur, in diversasque partes distribuitur, ita componi, ut cito elementa et moleculas suppeditare possit, quae a textis amittuntur actione et exercitatione suae vitalitatis et propriae gradationis, sic recta dumtaxat assimilatio, et nutrientium fluidorum distributio vitalitatem ejusque gradationes in proprio normalis activitatis statu servare potest. En quomodo propter vitalitatem habetur illa inter solida et fluida reciproca relatio, qua normalis organismi compositio servatur: en quomodo normalis solidorum actio ad normalem formationem et distributionem fluidi nutrientis concurrat: quae profecto formatio normalis et distributio ad conservationem vitalitatis diversarumque ejusdem gradationum in normali vis gradu concurrit.

Haud opportunum esse judico omnes gradatim sequi succedentes assimilationes alimentorum in variis oris, stomachi intestinorumque cavis, et eas praeterea chyli in lympham, et lymphae et sanguinis venosi in sanguinem cito concrescere idoneum et rubeo floridum, atque tandem eas assimilationes hujusce sanguinis in variis illis secretionibus, per quas idem ab ultimis arteriosis extremitatibus in continuas venosas se se intromittens in sanguinem debeat esse conversum qui lente concrescat, et colorem rubeum–obscu-

rum praeseferat. Satis est meminisse, quod per memorata nuper experimenta adhibita amputatione nervorum, qui ad cavorum et vasorum parietes distribuuntur, quibus illae formantur succedentes assimilationes, innotescat has normaliter procedere propter solitae vis impressiones, quas parietes cavitatum ac vasorum accipiunt ope nervorum ipsorum una cum impressionibus directe factis ab alimentis, et fluidis animalibus, quae introducta jam fuerunt, et circumeunt.

Supervacaneum esset ulterius exponere quomodo differentes vitalitatis gradationes habeantur a differenti mutuae mobilitatis gradu quam servant multiplicia elementa molecularum, et moleculae constituentes ac componentes nervos, musculos, membranas, et diversos texti evidenter cellulosi tractus, in quo diversa aliqua inhaeret gradatio vitalitatis et mobilitatis, quam gradationem activum mutuae affinitatis, mutuaeque cohaerentiae aequilibrium regit. Habita enim experimenta, et analyses efficere nequeunt, ut nos exactam elementorum diversas easdem gradationes constituentium proportionem designemus. Satis igitur est re ipsa cognoscere, quod propter vitalitatem, ejusdemque gradationum exercitationem insit solidorum in fluida, ac in solida fluidorum reciproca vis.

Ipse Tommasini haec habet: » Haec fluida,

et haec solida, dum vita fruuntur, mutuo inter se agunt et reagunt, movent et moventur, excitant et excitantur, assidue mutantur semperque mutant. Alimenta movent stomachum et intestina: stomachum vero et intestina mutant moventque alimenta: sanguis excitat et servat motus cordis et arteriarum; cor et arteriae movent mutantque sanguinem; urina vellicat et excutit vescicam et uretram; vescica vero et uretra impellunt emittuntque urinam».

Ex his re ipsa comprobatis cognosci facile potest, ut parum mutato vitalitatis ejusque gradationum excitamento sensim formari queant permanentes illi activitatis gradus a normali diversi in ipsis diversis ejusdem vitalitatis gradationibus, qui diversi gradus permanentes diatheses constituunt. Nervi omnes se se conjungendo in centro aliquo et in cerebro aut directe, aut postquam ganglia efformaverint unum quod seu systema efficiunt. Ipsi quidem citius impressiones acceptas per totum systema transmittunt, et majori quidem celeritate quam ceteri textus; easque accipiunt in partibus magis expositis actioni corporum externorum, quae partes vocantur in genere organa sensus. Quando ab hisce organis impressiones transmittantur per nervos ad centrum maximum systematis nervosi ad cerebrum, facultas

ibidem residens eas distinguit, habetque sensationes, aut ideas, aut determinationes respondentes: Sed ipsi praeterea eodem temporis momento, quo illas ad centrum, et ad cerebrum transmiserunt, easdem transmittunt ad omnes partes in quibus aliqua resideat vitalitatis gradatio, ut hoc modo subsequentes motus exoriantur. Hinc illas debent transmittere ad omnes etiam parietes cavorum cordis vasorumque, per quae fluida animalia circum feruntur, ut eorumdem cavorum parietes ad necessariam actionem; ad normalem ipsorum nutrientium fluidorum formationem, ad regularem denique eorum distributionem excitentur. Excitamentum igitur, quod impressiones in nervorum sensibilitate producunt, quodque hi congruenter cavorum cordis, ac vasorum communicant parietibus, majus aut minus esse potest gradu illo, qui omnium functionum normalitatem, statumve salutis constituit. Hinc nervi actione ea, quae excitamento respondeat, ubi eorum reposita est sensibilitas, modo minorem moleculanum, aut elementorum quantitatem possunt amittere dum nutriens fluidum lente circumiens majorem, quam quae ad reparandas jacturas necessaria sit suppeditare potest quantitatem: modo majorem amittere possunt molecularum, aut elementorum quantitatem, dum nutriens fluidum propter majorem dumtaxat in sua circulatione

celeritatem sufficere nequit, unde jacturae reparentur. Ex vitalitatis igitur influentia ad actionem axcitatae in circulatione, et nutrientis distributione fluidi, et ex reciproca circulationis influentia, et ejusdem fluidi distributione in remittendis textis, quibus aliqua vitalitatis ac praecipue sensibilitatis gradatio inhaeret, effici debet, ut diversum excitamentum, ad quod haec agi potest, sensim mutationem producat in ipsa textorum nervosorum compositione, proptereaque in suae activitatis gradu, qui cum permanens factus sit diatheses constituit, aut propensiones ad phaenomena a normalibus diversa, aut diversos morbos producendos. Donec abnorme vitalitatis diversarumque ejusdem gradationum excitamentum (quae sane omnes propter promptam impressionum communicationem convenienter excitantur) nihil aliud producat nisi majorem aut minorem, quam quae a nutriente fluido sufficí potest, molecularum, aut elementorum jacturam, videtur permanens solummodo activitatis gradus posse in omni gradatione major, minorve normali fieri. Variata forsitan elementorum proportione, quae amissis in vitalitatis actione substituuntur, haec suam prodere potest actionem diversis phaenomenis, quin auctum, aut imminutum activitatis gradum indicet. Hoc in casu diathesis alio nomine donanda esset; nec jam hypersthenica et hy-

posthenica appellanda: neque scio, utrum diathesis illa, quam nonnulli irritativam dicunt ab hac mutata oriri queat proportione elementorum, primitivas variorum textosum moleculas animales constituentium, quae neque auget activitatis gradum, neque minuit; sed efficit tantummodo, ut diversis phaenomenis actio manifestetur. Ut ut se res habeat, processus assimilationum fluidorum animalium, et ejusdem fluidi nutrientis assimilatio hisce in casibus haud valde a normali eorumdem compositione mutantur. Fluida circumeuntia eas minime impressiones producunt, ut ex se mutatam servare possint frequentiam, et regularitatem circulationis fluidorum, et in succedentibus eorundem fluidorum assimilationibus formare, et magis magisque augere mutationem. Morbosa propterea phaenomena, aut morbi, qui ex diverso horum complexu proveniunt, phaenomena semper morbique erunt nervosi, ab actione scilicet pendentes, quae a vitalitatis diversarumque ejus gradationum normali proficiscitur. Omnis igitur curandi ratio ita poterit circumscribi, ut illius harumque exitamentum ad normalem gradum adducatur: quo sane in casu consequetur ut celeritas et fluidi nutrientis distributio moderanda sit. Quod si fluida animalia in propria circulatione, et succedentibus assimilationibus adeo mutantur, ut per-

manens evadant causa insolitarum impressionum quae mutatam circulationis frequentiam ac regularitatem, et succedentium assimilationum fluidorum circumeuntium innormalitatem servare possunt, tunc morbosa phaenomena eos constituunt morbos, qui a mutatis vascularis systematis functionibus magis proveniunt, quarum propria est progressio, quaeque ab illis incrementi status, decrementi, aut crisis stadiis designantur. Istiusmodi morbi haud curari posse videntur, si vitalitatis dumtaxat, et diversarum ejusdem gradationum excitamentum temperetur: istae eorumdem periodi neque in successione, neque in renovatione temere impediendae sunt; sed moderandae ac tollendae tum minori (quo magis ac prudentius fieri potest), fluidorum absque norma assimilatorum absorptione, aut resorptione, tum promovendo crises, illorumque excretiones, quae absorta jam sunt atque circumferuntur. Quae quidem crises aut per naturalia organa excretoria fiunt, aut illis accumulationibus, quae abscessus producere possunt, et gangraenas, quibus chirurgo opus est, ut primae exitum habeant, utque ea separetur pars, quae sine remedio degeneravit, quaeque si adhaereat, semper noceret.

A proposito argumento nimis recederem, si varios nunc adspectus, quibus morbi efferri pos-

sunt, sequi vellem eosque pro diversa natura, diversaque propterea curandi ratione in diversas classes distribuere. Opus sane magnum esset meisque cognitionibus longe superius, quas vix confecto studiorum curriculo comparare potui: mihi tamen erit satis, atque super si doctrinarum luce, quae in hoc Archigymnasio copiose sapienterque mihi traditae sunt, clare aperteque demonstrare potuero mutatum vitalitatis excitamentum a mutata mutuaque solidorum fluidorumque actione semper comitari, adeo ut statui nequeat, utrum prius solida, an fluida mutata sint, ut illa in mutua inter eadem actione producatur mutatio; unde salus existit.

Illustris Vindobonae pathologus maximam mihi hujusce rei veritatem suppeditat, ostenditque nullam unquam de affectionum solidorum, aut fluidorum primatu quaestionem proferendam fuisse, si justam vitae ideam habuissemus. » Non est (1) (sic ille) fluidorum organismi mutatio abnormis, quin solida, et actio vitalis simul afficiantur. Eadem ratione nec solidorum vitium existere potest, quin eodem statim tempore et fluida et actio vitalis mutentur. Inter fluida ac solida organismi, atque actionem vitalem nulla est separatio; sed intima semper inter omnia

(1) Hortamen Pathologia generalis. Pag. 92. 1814.

complicatio. Quare nulla concipi potest affectio, quae primaria et separata aut in fluidis, aut in solidis existeret: mutatio enim morbosa quam primum adest totam simul organizationem an fluidis an solidis compositam, nec non vigentem in illam actionem vitalem occupat».

(1) Buffalini haec habet. «Vitium mihi gravissimum illud videtur quod solidorum affectiones a fluidorum mutationibus separantur, cum reapse fluida et solida unum quid individuum constituant ac fluida servent solida, ab iisdemque serventur, adeo ut tum horum, tum illorum mutationes sibi invicem necessario respondeant. Nec adhuc dignosci potuit, quodnam ex alterutris prius vitietur. Nam ex assidua partium solidarum in fluidas mutatione et viceversa, judicandum sane est quamlibet affectionem esse omnino communem»,

Cum animalis machina (2) (ait doctissimus Fanzago) solidis fluidisque partibus conflata sit, haeque partes in unum coalescant, ut se penitus contingant ac mutuo impellant, et ab invicem impellantur, solida fluidorum, fluida solidorum vitiis afficiantur necesse est.

(1) Fondamenti di Patologia analitica, fac. 71. Pavia 1819.

(2) Institutiones Pathologicae P. 1. C. 6. §. 150.

Hisce igitur recte ponderatis, et gravissimo summorum hominum testimonio illud procul dubio asserendum est, ut quam injuste veteres solidorum efficacitatem in varios morbos neglexerunt, tam se gererent nostrates illi, qui fluida indifferentia, nullaque actione praedita judicarent. Ut veritatem assequamur, et mediam quodammodo teneamus viam persuadeamur necesse est, solida ab initio morbosa esse non posse, quin propriam ipsis fluidis mutationem communicent, ut etiam haec quibusdam in casibus prius vitiata suam illis communicant perturbationem. Ex quo sane patet, utraque modo causam esse posse, et modo effectum. Acrimoniae variolarum, siphilidis, cancri, scorbuti caeteraque hujusmodi varias indicant mutationes et spontaneas adventitiasque degenerationes, quibus frequenter subjiciuntur humores. Hasce sententias celeberrimus vir Fanzago confirmat, qui recte ponderato solidorum dominio ait: «Nequaquam negamus (1) humores primum quandoque vitiari, qui nisi vitientur ipsi, multis saltem funestis germinibus vehiculo sunt, quibuscum intrinsecus immiscentur».

Enim vero qui fieri unquam potest, ut fluidum mutatum, atque vitiatum, quia ab infirmo

(1) Institutiones Pathologicae P. 1, C. 6, §. 158.

organo sejunctum, non laedat, morboque afficiat, caetera organa quae penetrare debet, imo earumdem pars fieri? Certum est normale aut abnorme organi cujuslibet exercitium esse congruenter mutaturum ipsam fluidi ab eodem separati conditionem. Hinc succus gastricus a morboso ventriculo separatus in specificis qualitatibus mutari debebit, omnibusque illis partibus nocere, quae penetrandae sunt. Harum propterea partium intimarum morbus erit secundarius, semperque a fluidi actione pendebit. Id et de actione stillae atri veneni dici potest, et de ulcere, cujus gangraenosum principium propter vastam partium rosionem totum sensim inficit organismum. Quare ex omnibus hisce rebus tandem concludi potest nullam esse affectionem, in qua uno eodemque tempore et fluida et solida, et vitalitas immutata non sit: quae quidem partes simul conjunctae totum illud constituunt, quod ab animali organismo nunquam poterit separari.

THESES

I.

Genera et species sunt notiones abstractae; non dantur enim in universo nisi individua.

II.

Vita conservatur in continuo illo processu, quo partes sive solidae sive fluidae jacturas subeunt, eaeque prompta reparantur nutritione.